



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 2. Satisfit Dubiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

noxii foret fideiussori in necessitate creditoris subvenire, qui in securitate obligationis eum recepit. Adde quod fideiussor recursum habet adversus minorem, ut indemnus servetur. *Gaill. l. 2. observ. 131.* ubi addit communem opinionem DD. esse, quod in integrum restitutio hæredibus competat. *Baldo* tamen hic articulus tam dubius fuit, ut decisione Cæsarea dignum iudicaret. Quo non obstante plerique omnes consentiunt, pupillum vel infantem ad hæredes suos beneficium restitutionis in integrum adversus omnifam additionem hæreditatis transmittere. Hæredes enim petere possunt restitutionem in integrum ad eandem hæreditatem ex clausula generali, *si qua mihi iusta causa esse videbitur. l. 1. ff. Ex quibus caus. maiores.* *Bart. in l. Pantonius n. 2. ff. de acquir. hered.* *Bald. in l. Si infanti. eod. Socin. Confil. 116. Decius conf. 331. Azor. l. cit. §. 124. Mysing. centur. 4. obs. 19. Azor. III. l. 6. c. 14. §. Dubia. Gomez 11. & 14. Barbos. in c. Ex beneficio hoc et Aloys. Riccius. Collectione 1518. ubi pluribus modis limitat.*

NOTA. Quamvis regulariter restitutio in integrum petita semel, & negata aliam excludat. *Ab. in c. fin. h. t. non impedit tamen, quo minus peti queat alio titulo & sine: v. g. si mutatus sit causa status, vel cum antea res postulata sit non habitâ fructuum ratione.* Tunc enim sive negata prius, sive obrita fuerit, licebit pro illâ agere, cum nova causa petendi sit. *l. fin. §. fin. ff. de condict. indeb. idque procedit, quando æquitas suadet. l. Nec utile. ff. ex quibus causis maior. Tuschus Conclus. 295. & 280. n. 4. Azor. in Summ. l. 2. §. 44. Trentl. disp. xi. hb. 1.*

§. 2.

Satisfit dubiis de restitutione in integrum.

DVb. 1. An restitutio in integrum fiat in rebus minimis? *Covarr. l. 1. Var. c. 3. n. 10.* pro affirmativa parte non paucos DD. citat, quorum ratio est, quod contingere potest, ut ex negatione restitutionis in integrum quamvis modica videatur, læsio magna existat, quæ præiudicium generare queat. Negativæ tamen parti subscribendam ipse *Covarr.* auctorizat, cum quo.

R. In rebus minimis restitutio in integrum non fit, uti nec actio de dolo exiguo. *l. Si olemm ci. fin. cum seqq. ff. de dolo.* Hinc *Barolus ad l. Scio. ff. de rest. in integr.* docet, in iis, quæ contra jus commune ex speciali privilegio permittuntur, modica non curari: secus in illis quæ secundum jus commune conceduntur. *l. si proprietarius. ff. de damno iuse.* Adde quod modica dos non vocatur dos: & de modica iniuria non curat prætor. *di. l. Scio. ff. de rest. in integr. & ibi Glossa. Bald. in Practica. q. 4. de probationib.* An modica sanguinis quantitas percussione elicitæ excuset eum, qui vulneravit. *Azor. l. 2. Summa §. 2. Gaill. l. 2. obs. 202. Schneidevvin. l. 1. instit. tit. 21. §. Quando auctoritas n. 14. Bartolinus annot. ad Lancelor. l. 3. Instit. tit. 18. §. 1.*

Dub. 2. Pro obtinenda in integrum restitutione, quid minor probare debeat?

R. Tria præcipuè notari cõmunitèr à DD. Primo ut probet se minorem esse, id est, non excedere annum ætatis 25. computando de momento ad momentum, ita tamen ut in bisextili duo dies

pro uno computentur *Azor. l. 2. Sum. s. 22.*
Secundo læsum esse in re non exigua. *Ter-*
tio, id factum esse dolo adversarii, vel ni-
 mia sui facilitate. *l. Verum. s. sciendum. ff. de*
minor. & l. ult. C. de in integr. rest. minor. Ab
Anton Butrio. quartum abjicitur, ut minor
 probeat, se esse intra tempora in integrum
 restitutionis petendæ, scilicet intra qua-
 driennium: de quo in *l. ult. C. de temp. in in-*
tegr. rest. Verùm alii hoc ut superfluum,
 imò inutile reiciunt, quia nemo alle-
 gare tenetur illud quod ab adversario ob-
 niendum timet. *Corn. conf. 135.* Reo po-
 riùs considerandum est, quomodo contra
 petentem probeat, illum extra tempus
 quadriennii positum malè pro restituo-
 ne in integrum postulare. *l. In exceptionib.*
ff. de except. Guido Papa decis. 142. Bald. in l. 1.
& Salicetus in Auth. Si omnes. C. si ab her. se
abstin.

Quod diximus, à minori læsionem
 probandam esse non procedit, quando
 læsionem ex ipsa facti specie cognoscimus,
 ut patet in præscriptione, cuius damna il-
 lam probant, & manifestant: ut tunc suf-
 ficiat ætatis suæ conditionem iudici de-
 monstrasse. *Anton. de Butr. in c. Constitutus*
h. tt. Mysing. cent. 4. observ. 16. Stephan.
Gratianus decisione 196. Corn. conf. 135. l. 2.
Guido Papa. decis. 142. Alexand. l. 2. con-
fil. 163.

Dub. 3. Quid minor probare debeat,
 quando contra omisam appellationem
 restitui petit?

R. Duæ opiniones sunt. Vna illo-
 rum, qui existimant, non aliud proban-
 dum esse, quàm quod minor sit. Læsi-
 o enim aliunde ex ipsa appellationis omis-
 sione satis patet, nec opus est probare sen-

tentiam malè contra se latam esse, Altera
 opinio est *Castrii in l. Sancimus. C. de temp.*
in integr. rest. à minore probandum, quod
 malè contra se lata sententia sit, sibi que
 profuturum fuisse appellationem, cum in
 dubio pro sententia præsumatur. Nec ad
 rem facit Conani distinctio, Actor, an
 reus sit, qui restitutione indiget, Lex,
 enim, quæ minorem restitui mandat, nul-
 lam differentiam facit inter reum, &
 Actorem, neque in Camera Spirensi id
 attenditur.

Quamobrem probabilius cenſeo Mi-
 nori simpliciter probandam esse læsionem
 ex omisam appellatione, cum manifestum
 sit potuisse, & non potuisse lædi. Igitur
 factam qui allegat, probare debet. Facta
 enim non præsumuntur, sed probatio-
 nem exigunt. *l. In bello. s. Facta. ff. de ca-*
pitivis l. quacunq. s. penult. ff. de publicanis.
c. Super literis. de rescript. Mysing. l. cit.
obs. 17.

Illud quoque observari dignum est,
 quando adversus contractum restitutio
 petitur, plenè probandam læsionem
 esse: sufficere autem qualemcunque,
 quando petitur adversus omisam allega-
 tionem. *Jacob. de S. Gemin. in l. 1. c. Qui, &*
advers. quos. Milis in Repert. V. Restitutio
pag. 414.

Limita, nisi omnino nota & manifesta
 læsio esset: quæ nimirum evidentia sua ex-
 cluderet contradictionem. *Tuschus. lit. N.*
concl. 104.

Dub. 4. An restitutio in integrum peti
 possit adversus contractum iuramento
 confirmatum?

Affirmant multi apud *Andr. Gaill. l. 2.*
observ. 41. hoc argumento persuasi. Ne-
 mo.

mo censetur renunciare juri suo, quod ignorat sibi competere. *l. maior decedens §. Caterum ff. de inoff. testam. l. fin. C. de non num. pecun.* Sed minor propter ætatis, & iudicii infirmitatem beneficium à iure concessum ignorare præsumitur: & ignorantia iuris minorennem excusat. *l. Fere in omnibus ff. de reg. iur.* Ergò iuramentum non excludit minorem à beneficio restitutionis in integrum, cum talis solennitas sit extrinseca contractui, ideoque non præsumatur. Verùm aliter tum Iuris-consulti, tum Theologi sentiunt, cum quibus

R. Adversus contractum iuramento confirmatum non admitti petitionem restitutionis in integrum. *Ratio generalis est.* Iuramentum, quod absque dispendio salutis animæ servari potest, servandum est. *Cum contingat. de iureiur. Less. c. 17. dub. 7. num. 2.* Et iuramentum proprium nemo potest violare, *c. in his dist. 11 & c. 1. de cleric. non resid. in 6. l. cum quis decedens ff. de legatis III.* Possè autem prædictum iuramentum absque læsione conscientie servari, licet fortè rei familiari noceat, nemini dubium est. *Nay c. 2. nu. 14. Sily. V. iuramentum §. 4. n. 1. & alii Summ. communiter.*

Idem dicendum est, sià Procuratore suo factum iuramentum Minor ratum habuerit. Eadem videlicet religione observabit. Si autem Vniversitatis alicuius Syndicus, vel Procurator contractum inierit cum iuramento, non eum effectum habebit, ut si violetur Vniversitas periurii rea sit, quia Vniversitas non habet animam: illud tamen efficiet, ut Vniversitas non possit re-

stitutionem in integrum postulare. *Marranta part. 6. pag. 259. Fachineus l. 3. c. 14. Gaill. l. 2. obs. 41. Less. c. 17. dub. 9. num. 65. Azor. l. cit. n. 46.*

Dub. 5. An restitutio in integrum minori detur adversus tertium possessorem?

R. Dari, contra bonæ, & malæ fidei possessorem. Tertius fortè emit, fortè dono, aut hæreditate accepit, fortè alio quocunque modo parta est cum læsione, & damno minoris. In his omnibus, & similibus eventis competit minori in integrum restitutio, propter nocumentum ipsi illatum. *l. in causa. §. interdum. l. si ex causa. §. de minor. Menoch. de recup. poss. rem 15.* ita tamen ut indemnis servetur, ad quem aliena res iusto titulo translata est, ipso defectum ignorante: quemadmodum in rei alienæ vendicationibus fieri solet. Hanc esse communiorum opinionem testatur *Andr. Gaill. l. 2. observ. 75. Molina D. 575. Fachin. l. 1. c. 38. Azor. l. 1. l. 6. c. 14. §. In dubium. Mysing cent. 3. observ. 85. Less. c. 17. dub. 10. n. 71. & alii apud Berlich. part. 1. conc. 14. n. 19. & seq.*

Dub. 6. An minor restitui possit adversum contractus in minori ætate factos, quos post annum 25. ratificavit?

R. Non posse. Vel enim contractus in minori ætate celebratus, merito iure valuit, quia nimirum cum debita solennitate confectus est, vel non valuit, propter defectum alicuius requisiti. Neutro modo competit minori beneficium restitutionis. Non primo, quia non potest allegare iniustam læsionem. Non secundo, quia ratificatio

cc 2

confir-

confirmat contractum: & si læsus est, alio modo subvenitur illi, puta, per rescissionem contractus, propter deceptionem ultra dimidium, vel aliud simile vitium. Ac proinde non est cogitandum de in integrum restitutione. l. 1. & 2. C. Si maior factus habuerit. Gomezus tom 2. c. 14. num. 11. Azor. 1. 1. l. 6. c. 14. §. Quid dicendum. Less. c. 17. dub. 9. n. 65. Treutl. disp. 1. n. 13. Neque interest, verbo, an facto ratificaverit, cum utriusque eadem virtus sit. l. Respondebit. ff. Rem rat. hab.

Dub. 7. An quando restitutio in integrum fit, fructus quoque restituendi sint?

R. Vel alienata res est gratuita, vel non. Si prius, cum fructibus suis restitui debet: si posterius, quoad conscientiam non sunt restituendi fructus. Namposito, quod ager iusto pretio venditus sit, quemadmodum emptor ex illo fructum, ita venditor ex pretio lucrum habere potest. Dico, quoad conscientiam, quia in foro externo aliter disponunt leges, & Paulus I. C. in l. quod si minor. §. restitutio. ff. de minor. restitutionem in integrum ita concedi minoribus scribit, ut cum fructibus res reddenda sit: quod etiam affirmatur l. Verum. §. 1. & l. patri. §. si pecuniam & l. minor viginti quinque annis, cui fideicommissum. ff. eod. Nec Ratio, deest, quia sic facienda restitutio est, ut unusquisque ius suum integrum recipiat. Bart. in l. ab hostibus. §. sed quod simpliciter ff. ex quib. caus. maior. Verum opinio hæc, nisi de possessione, malæ fidei intelligatur, nec ratione, nec praxi iuvatur. Ratio autem superius insinuata est, quod in fructibus perceptis minor nullum damnum passus sit, cum ex lucro pretii qualem fructum possit percipere. Vnde. Cardin. Tuschus. conclus. 23.

dixisset receptâ re, fructus quoque peti posse, addit, si æquitas permittat. Quod experientiam attinet Covarr. l. 1. c. 3. n. 1. in iudicio difficillimè, admitti dicit: adde- ret, nec admitti absque iniuria posse. Pro conciliatione valet Covarr. l. 1. Variar. c. 3. annotatio, leges citatas intelligi non de fructibus ante litem indictam pendenti- bus, sed de illis, qui tempore litis pen- dent, quorum in sententiâ suâ iudex men- tionem facere debeat, ut simul cum fun- do restituatur.

Dub. 8. An hæreditatem Principis fa- vore alteri delatam in integrum restitu- tus recuperet?

Affirmat Cynus, Angelus, Aretinus & Andr. Gaill. l. 2. de pace publ. c. ult. & alii, quibus tandem opinione suâ mutatâ acce- dit Fachinæus l. 1. c. 39. Nisi tunc autem auctoritate l. 1. §. Filio qui mortis. ff. ad S. C. Trebell. ubi dicitur, nisi forte servus pe- næ effectus principis beneficio sit restitu- tus.

Negant Bald. Iason, Gomez l. 3. c. 13. n. 26. ex l. Interdicit. ff. de condit. & demonst. illis verbis. Non idem erit dicendum, si ea pœna in eum statuta fuerit, quæ irrogat servitutem. Sensus est, legatum interdici- re, licet condemnatus in integrum resti- tui possit.

Medium cum distinctione sequitur Alexand. in Comm. di. §. Et quid si. Vel enim apprehensa fuit bonorum possessio, ab eo, cui delata hæreditas est, vel non: Si illud, dominium transit, & non recuperatur hæreditas: si hoc, recuperari potest. Et hæc sententia mihi quoque præferenda videtur ex eò, quod gratia uni concessa alteri præiudicare non debet, quod tamen fieret, si possessione, & dominio suo pri- vare.

varatus, qui hæreditatem principis beneficio consecutus est. Atque in hunc sensum interpretaris licet paulò ante leges citatas.

Quod si inde damnum enorme passus fuerit in integrum restitutus, remedium seu levamen à benignitate Principis expectare potest.

Dub. 9. An restitutus à Principe in integrum ex merà gratiâ pretium bonorum à fisco alienatorum recuperet?

Certum est; ipsa bona, si alienata fuerint, non recuperari, quod gratia uni concessa non debet alteri præiudicare. l. 2. §. merito. ff. Ne quid in loco publico. Quocirca adversus possessorem non dabitur actio cuiquam. Sed de Fisco difficultas remanet, annon refundere debeat pretium, cum ex illo ditior effectus sit. Tuschus consil. 276. n. 11.

R. Bonorum à Fisco alienatorum pretium restitutio à Principe in integrum reddendum esse. l. ex lege. §. Sed etsi lege. §. Item si rem distaxit. et. de pet. her. ubi bona fidei possessor ad restitutionem obligatur, in quantum ex pretio locupletatus est. Cum ergò Fiscus loco hæredis sit, & bona alienata sint, illorum pretium restituendum erit. l. Tutoris C. ad l. ult. de vi. Aliàs non possumus intelligere, quomodo in integrum restitutus esse dicatur, qui eorum, quæ antea obtinebat, nihil recipit. Indulgentiæ restitutio bonorum, ac dignitatis uno nomine amissorum omnium recuperatio est. l. ult. c. eod. In dubio mens Principis consulenda erit. Matth. de afflict. decis. 361. Fachin. l. 9. c. 18. Contrarium tamen, quoad bona alienata persuadere conatur. Jul. Clar. §. fin. q. 59.

TITVLVS XIV.

De remissione, & purgatione.

Super sunt duo modi, quibus in iudicio objecta vel suspicione imputata crimina diluantur. Princeps enim aliquando gladio, quo uti solet ad vindictam malorum, vaginæ reddito, clementiæ suæ beneficio abolere, quàm plerèque commissa mavult, adeoque compedes, & vincula laxans liberos dimittit malefactores: aliquando cum occulta delicta sunt, suspicio tamen reos urget, purgatio indicitur, per quam innocentia demonstratur. Hæc igitur in futuram nobis annuenda materia erit.

§. I.

De remissione, & gratia.

I. EX eo, quod in c. t. de poenitentis & remissionibus dicitur remissiones, quæ sunt in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad adificationem pontificis, nonnisi subditis prodesse, Præteius colligit, remissionem aliud non esse, quàm indulgentiam, qua peccatorum pœnæ per sacros antistites tolluntur. Dambouderus verò c. 146. ad forum sæculare respiciens relaxationem pœnæ capitalis interpretatur, quæ fit in homicidis, & aliis capitalibus.

c. 33. bus